



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Blasivs. 3. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

lectissimum Filium. Mirum sanè parentibus doctum mentum! Oportet, ut parentes ipsi filios suos Deo devoteant, non autem, ut sæpè fit, in eorum animis vivendi restringant voluntatem. Hodie, piissime Deus, offero tibi quicquid mihi carissimū est, cor, voluntatem, affectus, omnia.

3. Maria suæ in Patrem liberalitatis fructum refert amplissimum, jam enim recuperat & Filium & honorem suum; nam Simeon eam colit ut Dei matrem, miratur ut Virginem, & in porrectis ejus brachiis IESUM reponit. Si honorem, si cor tuum Deo dederis, etiamnum, in hac vitâ largiorē mercedem accipies. Quam suave est, tam liberali Deo servire, qui danti terrena, cælestia rependit! *Cur non cælo mutamus terram? quare non caducis emimus aterna? quare non perituris manentia comparamus?* Chrysof.

S. BLASIVS.

3. Februarii.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Luc. cap. 13.

BLASIVS Sebastenus Episcopus in montem Argæum secessit, inde velut ex specula Gregi suo advigilaturus; ubi feras ad omne genus officii obsequentes habuit; fuitque tam sedulæ virtutis stipendium bene precatur

F 2

precat

precari stato tempore confluentibus. Sub
 inde cum indagine mons cingeretur, nobil
 venationis auctuarium BLASIVS accessit
 dum ad quaestionem rapitur, non paucis sa
 lutem attulit, inter quos filium memorandi
 unicum unice matri suae dilectum, cui de
 pisce spina fauces obsidens loquelam jam
 eripuerat, vitam etiam creptura, nisi prior
 eam e gutture BLASIVS rapuisset. Atque
 hoc est, quod a Majoribus edocui simili in
 periculo similem Divi opem hodieque im
 ploramus. Caeterum ab hominibus ad feras,
 non a feris ad homines dices migrasse, ita
 barbarè ab Agricola sūdibus secundum ac
 ceptus est. Eius sanguinem cum septem ma
 tronae legissent, ipsae quoque verberibus la
 ceratae, in candidissimae innocentiae testi
 monium non nisi lac per vulnera egressere,
 quod tamen ipsum mox capite truncata
 pulchre sanguine miscuerunt. At BLASIVS
 undis, quibus mergendus erat, ancil
 lantibus usus, lacum primò non aliter ac
 pontem perambulavit, deinde velut fessus
 molliter in medio aquarum consedit; hau
 stis interim vortice LXIIX. viris, qui Deco
 rum suorum fiducia idem agere tentarant.
 Tandem cum geminis unius ex septem, de
 quibus

quibus dixeramus, matronæ filiolis, liq̄ori
cervicem præbuit. Quibus è vulneribus
plus gloriæ quàm sanguinis manavit.

Ex Surio.

MEDITATIO
De solitudine.

1. **P**œnitentiam age, & ut pœnitentia tua feli-
cior sit ac fructuosior, S. Blasii exemplo,
fuge in solitudinem, procul esto ab occasionibus,
in quibus peccasti, ne eadem causæ eosdem habe-
ant effectus. Jucundius nihil est, quàm solum cum
solo JESU colloqui! ubi vel primis labiis hanc gu-
staveris suavitatem, procul [inquies] procul cæ-
nosæ mundi voluptates. Ah! mundanum murmur
obtundit aures illius, qui solitudinis novit tranquil-
litatem. *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradysus.*
Hieronym.

2. Si propter vitæ tuæ conditionem homines fu-
gere minùs possis, potes quidem certè habere cor-
dis solitudinem. Singulis annis quosdam dies, sin-
gulis diebus quædam tempora seligito, quibus Deo
& animæ vaces. Vide singulis horis, quid feceris?
Quid factururus sis? an is es, qui Deo tantulum
tempus denegaturus sis? Memineris solitudinem
cordis esse pernecessariam. *Quid prodest solitudo cor-
poris, si solitudo defuerit menti?* Greg.

3. Sub noctem peractis negotiis, attende ad
peccata commissa, ut veniam petas; ad piè facta,

ut gratias agas. Quam latus, si benè ! quam tristis,
si malè diem transegeris ! Heu ! vita sicut dies hæc
extinguetur. Et forsitan hæc dies erit ultima vita
tua. An paratus esses ad reddendam Deo rationem ?

S. THEOPHILVS, CONFESS:

4 Februarii.

*Quid tibi negabitur (ò Maria!)
cui negatum non est, Theophilum
de ipsis perditionis faucibus re-
vocare: nihil tibi impossibile, cui
possibile est, desperatos in spem
beatitudinis relevare.* Damiani
Serm. i. de nativ. Virg.

O Semper insidiosa demissis animis am-
bitio ! THEOPHILVS ille, qui Infu-
lam ultrò oblatã ultrò rejecerat, mox offi-
cio Oeconomi ab æmulis se dejici adeò in-
dignatus est, ut excire in auxilium Orcum
non vereretur. Ergò ad Magum, cum hoc
ad juratum humani generis hostem curritur:
DEVM, Dei que Matrem ejurare non titu-
bat lingua impudens, non erubescit scripto
firmare